DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Martis vigeſimâ-ſeptimâ menſis Aprilis, anno Domini M. DCC. LXXIX.

M°. THOMAS LEVACHER DE LA FEUTRIE,
Doctore Medico, Præſide.

De quibuſdam objectis adverſus oſſium pubis Symphyſeôs Sectionem.

QUOUSQUE tandem tanta erit hominum cæcitas ut qui novâ luce priſcorum errores evertere ſit auſus; non ſuæ tantùm ſed & alienis gentibus ſit odioſus! hoc multi experti ſunt viri illuſtres quorum alii odio publico, alii morte plecti ſunt. Hoc experitur hodie ſolertiſſimus M. SIGAULT, D. M. P. qui novâ, genuinâ, ſibique propriâ operatione necis falcem avertens, fœtu ſalvo, matrem liberat, à rege munifico donum annuum, à clariſſimis collegis lauros, à livore calumnias excipit. Quàm ſimplex, quàm facilè curanda, quàm proficua tùm fœtui tùm matri Symphiſeôs pubis Sectio nullus artis peritus ignorat. Huic tamen plurimi adverſantur. Quot, quàm futiles objectiones contra eam allatæ ſint nemo neſcit. Quas olim protulere quidam anonymus P. R., D. LHERITIER, D. ETIENNE, D. PIET, M. BAMPS D. M. funditùs everterunt ingenioſiſſimus operationis auctor (1), celebris LE ROY (2), peritiſſimus ROUSSEL DE VAUZESME (3), & nuper doctiſſimus JUMELIN (4) hujus Scholæ celebres Magiſtri; ſed virili calcaneo penitùs delevit experientia quâ conſtat de duodecim mulieribus hâc operatione liberatis duas tantùm obiiſſe quarum quidem mors operationi minimè tribuitur (5).

Non deſunt qui contra tam utilem operationem ultrò citròque fugitivâ voce conclamitent. Hos minoris pendimus quàm ut iis reſpondere dignemur.

Hunterus verò Medicus Londinenſis non minus in arte medendi quàm obſtetricandi peritus tantum ſibi fecit nomen, tot hominum ſibi vindicavit fidem ut verendi locus ſit, ne ea quæ improbavit, multi artis omninò rudes, tanti viri auctoritate capti inconſultò reſpuant. Itaque cum eo pro humanitatis cauſa certaturus, objectiones illius compendioſè referam.

1°. Tam raras eſſe occaſiones vel Cæſaræ vel Sigualtinæ ſectionum celebrandarum

---

(1) *M. Sigault, Diſcours ſur les avantages de la Section de la Symphiſe dans les Accouchemens laborieux & contre nature.*

(2) *M. le Roy, Recherches hiſtoriques & pratiques ſur la Section de la Symphiſe, 1778.*

(3) De Sectione Symphiſeos oſſium pubis admittendâ Quæſtio Medico-Chirurgica Pariſiis diſcuſſâ in Scholis Medic. die Maii 7 ann. 1778.

(4) *Journal de Phyſique. Septembre 1778, pag. 189, &c.*

(5) *Journal de Phyſique. Septembre 1778, pag. 194.*
Analyſe des trois Procès-verbaux à la ſuite du Diſcours ſur les avantages, &c, pag. 10.

affirmat, ut vix se se ter ipsi objecerint intra trigenta novem annorum spatium; undè concludit unum tantùm hominem de 20000000 quotannis Sigaultinâ sectione servatum iri. Sperat fore ut illa sectio, sicut & nova methodus calculos per superiorem apparatum educendi oblivione quondam deleatur (1).

2°. Negat illam operationem pro Cæsarea unquam esse celebrandam quia per eam fœtus liberari nequit.

3°. Si quando institui debeat hæc nova operatio, id tantùm fieri suadet cum tam stricta est pelvis aut tanta vertebrarum projectio, ut ferro hamato fœtus arripi, dilacerarique nequeat.

4°. Illam extractioni fœtûs per uncum comparans, affirmat tam horrendam operationem frequentiorem esse futuram ad magnum humanitatis detrimentum. Ac proindè sedulò procul avertenda omnia instrumenta ab arte obstetricatoria & ea præsertim quæ matrem fœtum ve cædunt, dilacerant. Tum ut Chirurgi rudes morem in rebus habeant, tum ut plurimi convocentur artis periti. Saluberrimum ordinem acriter improbat ex eo quod laudibus prosecutus fuerit Magistrum SIGAULT, ejusque felicem operationem doctis omnibus noscendam curaverit: at pace tanti viri quid ni laudasset ordo saluberrimus medicum qui vitam infanti certè perituro servavit matremque, filio vivo beatam, nullâ labe affecit, cum tota ferè gens Angla in celebrando, encomiis omnibus extollendo, omni mercedum genere cumulando mimo & histrione æstuaverit?

Tanto igitur viro respondebimus, 1°. raròquidem sed frequentius occurrere occasionem vel Cæsareæ, vel Sigualtinæ sectionum celebrandarum, toties enim sese offert occasio, quoties hiatu patulo deficiente, fœtus haud transfretare valet, nimiæ molis capite vel latioribus scapulis vitiatus; quoties ritè constiturus Homuncio strictiorem utriusque freti, depressâ distortâve pelvi aut prominente sacro, diametrum permeare nequit; quoties, omnibus ritè constitutis, caput pravâ positione nullâ arte redigendâ intricatum educi non potest, quoties tandem in hisce omnibus circumstantiis nec spatulâ nec forcipe partus absolvi valet. Forceps enim licet ratione sui voluminis fœtûs caput augeat valdè tamen utilis est aliquandò ut matris dessessæ viribus suppleat, præsertim quando nullum aut leve conformationis vitium adest. In cæteris operationibus Chirurgicis uni tantùm, in partu vero duobus est consulendum; itaque neuter est Laniandus, (2) sed potius matri præstat anceps remedium afferre quàm nullum aut fœtui lethiferum. Utraque sectio pro fœtu certa; pro matre verò ferè certa Sigualtina, anceps, ferè lethalis Cæsarea. Hunterum verò non pudet nec Cæsareæ, nec Sigualtinæ sectioni locum dari contendre, quotiescumque ferro hamato frustatim extrahi potest fœtus. Nullam habet rationem tot mulierum quæ singulis diebus rudi manu, iteratis succussionibus, nixibus irritis obrutæ, legitimi amoris immeritas luentes pænas, animam efflant, quæ certè Sigualtinâ, forsan Cæsareâ sectione feliciter liberatæ fuissent. Verùm esto quod novâ methodo unus tantùm de 20000000. salvetur homo: felicem se clamitet vir cui dabitur homine semel mortem defraudare! Id verò longè frequentiùs accidet illi qui opportunè hanc celebraverit.

2°. Libenter fatemur, & de hoc obtrectatores monitos volumus, non semper nec inconsultò in omni casu pubis symphisim esse secandam, ut quidam auctori laudato temerè tribuerunt, sed tantùm quando necessitas urget indicata (3) nec pro Cæsarea-sectione Sigualtinam institui volumus in conceptionibus ventralibus in quibus Cæsaream tantùm suadet ipsemet ingeniosissimus M. SIGAULT. (4) Sed cum Auctore clarissimo suam ipsius operationem institui Jubemus quoties sese offerunt quædam è supra recensitis occasionibus,

---

(1) De hoc vide: *nouvelle Méthode d'extraire la pierre de la vessie urinaire par dessus le pubis, qu'on nomme vulgairement par le haut appareil, &c. A Bruxelles; & à Paris, chez d'Houry, ann. 1779.*

(2) Non agitur hic de conceptionibus præter naturalibus, de mulieribus ante partum defunctis, in utroque casu Cæsareâ sectione foras eliminandus est fœtus. Nec etiam de fœtibus mortuis in utero vivo conclusis qui forsan unco sunt extrahendi.

(3) *Discours sur les avantages, &c. pag. 19.*

(4) *Ibidem, pag. 11.*

nec tunc quidem ad eam deveniendam lubet, nisi freti superioris diameter minor duobus saltem pollicibus pateat. Tantilla enim diameter post symphiseos sectionem minus fortè augeretur quàm ut fœtus posset educi vivus sine nimiâ violentiorique ossium pubis dimotione quam quidem sequerentur symphisiων posteriorum dearticulationes, inflammationes & fortè matri pejora: tunc satiùs ad Cæsaream recurrere. Si verò duos tantùm pollices exhibeat minor freti superioris diameter affulget spes utriusque liberandi (1) undè liquet fœtum semper liberatum iri; sive quodam matris detrimento in priori casu, (posito quod fiat illa sectio tunc tantùm periculosa) sive absque matris incommodo in posteriori casu.

3°. Sectio Sigualtina quam genuit amor humanitatis & vitæ, mortis prævia nullâtenus esse debet. Itaque in casu proposito nunquam admittenda est, sed tunc ad Cæsaream properandum ut mox dicebamus, hæc enim licet lethalis, & matri & fœtui nonnunquam profuit. Quis humanitatis amicus hoc Hunteri consilium inmotus audiat? Huic adversantur leges divinæ quæ sunt extra nostram provinciam; hoc improbat natura, hoc damnant leges civiles, hoc respuimus & quicumque id sequi non dubitabit, is omnibus necis non verò naturæ minister habeatur.

4°. Nulla est paritas inter operationem quæ de duobus alteri mortem, alteri plurimùm mali confert & eam quæ alteri vitam, alteri paululùm incommodi præstat. Horrendam priorem scilicet Hunterianam, divinam posteriorem nempè Sigualtinam nuncupamur. Cum D. Huntero quantùm fas erit instrumenta quælibet ab arte obstetricantium ablegamus & præsertim ea quæ matrem fœtumve cædunt aut dilacerant, ideoque suum ipsius uncum in perpetuum ærugini mandamus. Cum eo suademus ut magna adhibeatur cautela, plures convocentur artis periti si fieri possit. In pagis verò & oppidulis ubi nullum collegam obstetricans agnoscit, volumus ut ille qui prægnanti ministrat, post sedulum examen, ni alia detur porta quàm Cæsarea vel Sigualtina sectio, ad eam sese accingat operationem quæ cum natura magis æmulatur, in quâ nullum ens trucidatur, in quâ pauciores, minùs nobiles, faciliùs adunandæ partes dividuntur; quam mitiora sequuntur symptomata, quæ magis tuta, magis cita, minùs injucunda videtur. Uncus igitur mortis præcursor & minister nunquam admittatur in vitæ templo; hoc enim enecatur homuncio qui ad provectiorem ætatem plurium liberorum pater factus de patriâ benè meritus vixisset. Quid ergò tàm in intricata re faciendum restat? jam diximus.

Si saltem duos pollices exhibeat freti Superioris diameter minor, audacter secanda Symphisis quæ Pubes nectit. Operatio tutò celebratur, facilè curatur juxta methodum ab illustrissimo M. SIGAULT institutam (2). Si verò tutius videatur, 1°. cutem in plicæ modum elevatam supra pubim findat obstetricans. 2°. Scalpello lenticulato cujus pars secans limâ tantùm attenuata fuerit, fascias ligamentosas, quæ symphisin offermant, solvat. Hoc instrumento nihil lædi potest nisi partes admodùm tensæ scilicet ligamenta quæ secanda erant. 3°. Spontanea ossium pubis dimotio moderabitur ope latæ fasciæ sacro subjectæ cujus extremitas dextra ad sinistram, sinistra verò ad dextram supra pubim à duobus hominibus ad obstetricantis nutum magis minus ve-tensa feretur. Huic Methodo libenter annuit ipsemet veracissimus operationis auctor.

Præterea sponte fatetur Hunterus. 1°. Ne scalpello quidem acuto peritè directo aliquid incommodi tum vesicæ, tum urethræ inferri posse. 2°. Per hanc sectionem pubes à se invicem ad pollices 2 $\frac{1}{2}$ facilè dimoveri; quam dimotionem ferè semper ad felicem partum sufficere contendimus, quod experientiâ testatur. 3°. Sacro illiacas Symphises etiam laxari; quas reverâ semper dilacerari contendit. Sed huic objectioni sponté fluit responsio jam valdè trita, omnibus physicè probata, scilicet per totum gestationis tempus tam macerata fuisse ligamenta ut vix dilacerari queant. Ast verò si quando disrumpenda fuissent certè in muliercula Vespres quæ longa pollicib. 30. Post Symphiseos sectionem puerum enixa est pollicib. 20 longum, in qua tamen nulla ligamentorum ruptura obser-

(1) Hîc de minoribus diametris agitur, quia maxima indè difficultas.

(2) *Discours sur les avantages, pag. 29.*

vata fuit (1). Verùm Hunterus cujus obſervatio minimè ſuſpecta videtur, qui fœtum hâc operatione numquam liberandum contendit, (quod veritati adverſum à nobis, à jam laudatis auctoribus, ab ipſamet experientiâ demonſtratum eſt.) Eam utilem matri quandoque futuram fatetur, ſi illâ celebratâ, per uncum evehatur fœtus. Verùm quemcumque in finem celebrata fuerit Symphiſeos Sectio, eam eadem pericula concommitatura ſunt; ſi nulla in finem lethiferum ab Huntero propoſitum ergo & nulla in finem ſalutiferum ab ingenioſiſſimo M. SIGAULT inſtitutum.

---

(1) *Analyſe des trois Procès-verbaux à la ſuite du Diſcours ſur les avantages, &c. pag. 7 dans les notes.*

DOMINI DOCTORES DISCIPLINÆ MAGISTRI.

M. Guillel.-Joſephus DE L'EPINE, *Antiquior Scholarum Magiſter, Antiquus Facultatis Decanus, Academiæ Cenſor.*

M. Anna-Carolus LORRY.

M. Carolus-Ludovicus VARNIER.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Henricus-Joannes BAGET.

M. Theobaldus NIZON.

M. Jacobus BARBEU DU BOURG, *Regiæ Scientiarum Academiæ Stockolmienſis, Societatis Regiæ Monſpelienſis, Societate Medicæ Londinenſis, & Philoſophicæ Americanæ Socius.*

M. Carolus-Ludovicus SAILLANT.

M. Petrus-Auguſtus ADET.

M. Joannes-Jacobus MESSENCE.

Proponebat Pariſiis STEPHANUS FOUIGNET DE PELLEGRUE, ex Diæceſi Vazatenſi apud Aquitanos, Doctor Medicinæ Facultatis Burdigalenſis, necnon & Saluberrimæ Facultatis Pariſienſis Baccalaureus, Diſſertationis Auctor. A. R. S. H. 1779. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Tipographi. 1779.